

imponendum. in choro standum. Et in omnibus omnino locis etas non discernatur in ordine nec preiudicet. quia samuel et daniel pueri. presbiteros iudicauerunt. Ergo exceptis hijs quos ut diximus altiori consilio abbas pretulerit uel degradauerit certis ex causis. reliqui omnes ut conuertuntur ita sint. ut uerbi gratia qui secunda hora diei uenerit in monasterio. iunioem se nouerit illius esse qui prima hora uenit diei. cuiuslibet etatis aut dignitatis sit. Pueris per omnia. ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur priores suos honorent. priores iuniores suos diligant. In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare. sed priores iuniores suos fratres nominent. iuniores autem priores suos nonnos uocent. quod intelligitur paternam reuerentiam. Abbas autem qui uices christi agere creditur. dominus et abbas uocetur non sua assumptione. sed honore et amore christi. Ipse autem cogitet et sic se exhibeat

